



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Summae seu Manualis Doct. Navarri

**Ávila, Esteban de
Azpilcueta, Martín de**

Lvgdvni, 1609

M.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41656

MALEDICTIO. 513

niter sunt excommunicati per constitutiones synodales: & hodie vbiuis gentium sunt excommunicandi prius legitime moniti, & concubinæ sunt in exilium mittendæ iuxta Trident. num. 23.

MALEDICTIO.

MALEDICENS seu imprecans mortem alicui & toti eius familiæ, duo tantum peccata committit, non tot quot sunt personæ familiæ. Idem de eo qui blasphemando maledicit Petro, & Vndecim Apostolis. cap. 6. num. 18. in Nouo additum.

Qui deliberatè maledicit imprecando sibi malum, cui non licet consentire, vel proximo malum notabile sub ratione mali, peccat m. Secus si fiat indeliberatè, vel ore tantum vt communiter fit. cap. 23. nu. 117. Imprecari autem sibi damnus boni, quod posset prodigere, non est mortale. Ibidem.

Peccat mort. qui maledicit diabolo ratione suæ naturæ: secus ratione culpæ. n. 117.

Qui creaturas rationales vel irracionales commendat, vel committit diabolo, quatenus sunt creaturæ Dei, blasphematur. Quod maledicat eis quatenus sunt res proximi,

K k idem

idem est ac si proximum malediceret. Quod si neutra harum rationum est, maledictio erit vana, & peccatum veniale. Ibidem.

M A L E F I C I V M, quoad coniugatos, vide Matrimonium X. §. VII.

M A L E F I C I V M, quoad maleficos & veneficos, vide tit. Superstitio.

M A N I F E S T V M, vide Notorium.

M A R I T V S.

Q V I D possit maritus circa votum Continentiæ vxoris, aut de non petendo, & de aliis similibus, vide Votum. I V.

Nihil potest vouere maritus circa debitum coniugale in præiudicium vxoris. c. 12. n. 61.

Si vouit succurrere terræ sanctæ ex licentia vxoris, vel sine illa, tenetur implere. num. 62. Si tamen cessaret necessitas succurrendi, quia cessant bella, cessaret etiam facultas vouendi, & adimplendi. num. 87. lit. D. in Nou. num.

Non potest sine licentia vxoris mutare habitum in habitum religiosorum tertij ordinis. num. 62.

Absentia mariti ab vxore, iusta de causa non est prohibita: maxime si occupatur in

in rebus necessariis, vel militaribus, in obsequium Regis, Reipublicæ, vel sui ipsius. num. 87. lit. D. & Nouo num. item Nouo cap. 16. num. 32.

Peccat mort. maritus qui sine iusta causa prohibet vxorem audire missam, vel ieiunare diebus de præcepto, vel si atrociter percutit vxorem, vel dicit ei conuitia notabilia, aut aliquod verbum, licet non iniuriosum, animo tamen conuiciandi notabiliter. cap. 14. num. 19.

Mariti præceptum aliquando obligat vxorem sub m. num. 20.

Peccat mort. maritus occidens vxorem in adulterio deprehensam. cap. 15. num. 3.

Quando quidē potest eam accusare, vide Matrim. 11.

An maritus possit sumere cibos calidos in sine copulæ: & de quibusdam peccatis inter coniuges contingentibus vide tit. Luxuria.

Maritus qui sibi vsurpat aliquid ex bonis paraphernalibus vxoris, peccat m. & tenetur restituere. Non tamē quæ bene vel malè cōsumpsit de lucris cōmunibus. Quoniam illa sola quæ tēpore diuortij inueniuntur lucrifacta censentur lucra. Reliqua licet pro dimidio lucrifcerent vxori, tamen lucrifciunt reuocabiliter. cap. 17. num. 153. 155.

Donatio à marito facta de bonis mobilibus

sine consensu vxoris, valet. Tenetur computare illa in partem suam, & vxorem certiorrem facere, vt in partitione tantundem plus sibi cedat. imò & donatarius tenetur manifestare vxori si credit maritum non manifestaturum. num. 155. Idem dicendum est de marito, qui in terris vbi lucra fiunt communia, donat aliquid inscia vxore: nam licet impensa mariti prouida vel prodiga diminuat lucra non tamen donatio est: hæc enim non permittitur, sicut impensa. ibid.

Donata marito à consanguineis eius, ad eum pertinent: & ad vxorem, quæ ei dantur à suis consanguineis. num. 166.

Potest pacisci cum promittente dotem, & non soluente, vt donec soluat, reddat singulis annis pro oneribus matrimonij tantum quantum aliquis mediocriter indutius, ex illa dote (manente salua) capere possit. num. 213.

Iusta sunt statuta regionum, statuenda vt promittens dotem, donec soluat, & etiam maritus, & ipsius hæredes, donec dotem reddant vxori viduæ, vel separatae, impendant certum quid singulis annis.

Qui dotem recipit, & hæredes eius in causa diuortij, tenentur vxori viduæ, vel separatae præbere alimenta, quæ (salua dote) dari possunt, donec persoluantur vxori. num. 213.

Peccat

Peccat mort. maritus capiens ad vsuram merces ad res vanas, contrahendo graue æs alienum, damniificando notabiliter vxorem, ac liberos. Idem de capiente & emente habita fide de pretio merces, quas præfenti pecunia vendat. cap. 17. num. 163.

MARTYRIVM. Peccat mort. qui se martyrio temerè offert, & irritans infideles. Item qui se offert ad martyrium principalis ob tædium vitæ, quàm ob zelum fidei. c. 11. num. 40. & cap. 15. num. 12.

Est autem martyrium in præcepto quando necessarium est ad defendendam fidem, vel bonitatem multorum: vel ad excusandas blasphemias. Est in consilio quando ex eo non sequitur ampliùs, quàm gloria Dei, & exaltatio fidei. cap. 11. num. 40.

MATER. vide tit. Pater.

MATRIMONIUM I.

In se & quoad etatem contrahentium.

MATRIMONIUM est Sacramentum, quo fit maris & fœminæ coniunctio, indiuiduam vitæ consuetudinem retinens. cap. 22. num. 19. §. 1.

K k 3

Matri.

Matrimonium inter infideles non est sacramentum, sed tantum contractus. Solum Matrimonium Christianorum est Sacramentum, & confert gratiam recipienti, nisi obex ponatur. num. 19. & 20.

Coniunctio quæ per Baptismum & Pœnitentiam fit inter Deum & animam, metaphorice dicitur coniunctio. num. 19.

Coniunctio verò maris & femina, quoad Matrimonium, principaliter dicit unionem animorum utriusque, quam corporum, cum qua etiam sola potest constare Sacramentum. num. 19.

Individuitas, siue insolubilitas matrimonij in hoc consistit, quòd sic coniuncti nisi morte naturali non possunt solui regulariter, nec possunt altero vivente, aliis coniungi, debent alter alteri fidem servare, & debitum coniugale reddere, & se mutuo in administranda re familiari iuvare, denique neuter eorum potest sine alterius consensu continentiam promittere. num. 19.

Matrimonij materia est consensus legitimus: forma sunt verba, & sufficit nutus, vel signa, vel Scriptura, imò aliquando taciturnitas, ut quando pater contrahit pro filia presente, audiente, & non contradicente. num. 20. §. 2.

Ætas legitima in viro ad contrahendum

dum de presenti est quatuordecim annorum completorum, & in femina duodecim. Si tamen potentia suppleat ætatem, prius contrahere possunt: quæ quidem usque ad illum annum non præsumitur. num. 29. *Ætas* verò ad Sponsalia est septem annorum in utroque: peruenientes tamen ad annos pubertatis possunt petere absolutionem. num. 27.

Peccat mort. qui contrahit matrimonium, vel sponsalia ante legitimam ætatem. Quamvis in hoc communiter magis peccent consules, & contrahentium curam habentes, quàm ipsi contrahentes, qui plerumque excusantur ob ignorantiam iuris. num. 29. in Antiquo. Nam in Nouo sublatum est non de consensu auctoris, sed ex errore impressoris, ut ex contextu precedenti & ex summano aperte constat. num. 29. cap. 22.

Contrahere matrimonium ob finem mortalem est culpa mortalis. Contrahere propter delectationem carnis, vel propter diuitias, est veniale. Contrahere autem minùs principaliter propter hæc, & principaliter propter Deum, non est peccatum. num. 79.

Peccat m. qui cum sit in mortali, vel existat excommunicatus maiori vel minori, contrahit matrimonium. num. 81.

Omnis vtriusque sexus ætate legitima, & iusto iudicio præditus, potest contrahere matrimonium, nisi specialiter prohibeatur, vel intersit aliquod impedimentum inter contrahere volentes. Amens verò tempore amentia non potest. num. 29.

Circa matrimonium definiuit sub anathemate Concilium Trid. sess. 24. hæc sequentia.

I. Quòd matrimonium est propriè ac verè sacramentū à Christo Domino institutū. II. Quòd confert gratiam. III. Quòd non licet Christiano habere plures uxores, quia prohibitum est per legem diuinam. IV. Quòd non solum gradus consanguinitatis & affinitatis in Leuitici cap. 18. expressi, possunt impedire matrimonium, & dirimere contractum: sed etiam alia impedimenta ab Ecclesia statuta. V. Quòd potest Ecclesia in aliquibus illorum Leuitici dispensare. VI. Quòd potuit Ecclesia constituere impedimenta dirimentia matrimonium, & quòd nullatenus errauit in hoc. VII. Quòd matrimonium non potest dissolui, neque dissoluitur propter heresim, vel molestam cohabitationem, vel absentiam affectatam. VIII. Quòd matrimonium ratum non consummatum potest dirimi per solemnem professionem religionis alterius coniugum. IX. Quòd non errat Ecclesia docendo matrimonij vinculum non

non dissolui per adulterium, & neutrum etiam innocentem posse altero viuento matrimonium contrahere, mæcharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, & eam, qua dimisso adultero alij nupsit. X. Quòd non errat Ecclesia, qua propter aliquas causas separat coniuges quoad thorum, vel cohabitationem ad tempus certum, vel incertum. XI. Quòd clerici sacris initiati, vel Regulares post solemnem castitatis professionem non possunt contrahere matrimonium, & si contrahant non tenet: quia obstat ei lex Ecclesiastica, & votum solemne emissum: neque per hoc ullo modo damnatur matrimonium. XII. Quòd non possunt omnes contrahere matrimonium, qui castitatem vouerunt, etiam si non sentiant se eius donum habere. XIII. Quòd status conjugalis non est anteponendus statui virginitatis, vel cœlibatus. XIV. Quòd prohibitio solemnitatis nuptiarum, certis anni temporibus non est superstitiosa, nec tyrannica. XV. Quòd non sunt damnanda benedictiones, nec alie caremonia, quibus Ecclesia utitur in matrimoniis. XVI. Quòd causa matrimoniales spectant ad iudices Ecclesiasticos. cap. 22. num. 31. in Antiquo: nam in Nouo sublata sunt hæc omnia ex negligentia impreforis.

Peccat mort. qui credit hæc definita à
K k § Trid.

522 MATRIMONIUM II.
Trid. non esse vera: & est hæreticus, & si id
quouis modo exterius expresserit, est ex-
communicatus per bullam cœnæ. num. 31.

MATRIMONIUM II.

Quoad Sponsalia.

A SPONSALIA non sunt matrimonium,
Sed promissio eius: & requirunt mutuam pro-
missionem. Sufficit tamen quod altera pars
tacite repromittat. Et quamvis promissio
vnius tantum sufficiat ad se obligandum,
non tamen sufficit ad efficienda sponsalia,
nisi sit mutua, & reciproca. cap. 22. nume-
ro. 25.

B Dissoluntur multis modis Sponsalia. I.
Remissione partium, etiam si sint iurata.
II. Per alterius ingressum religionis etiam
ante professionem. num. 25. & 26. III. Per
matrimonium alterius de presenti con-
tractum. IV. Per migrationem alterius
in aliam regionem, si non redit tempore
præfinito. nu. 26. V. Per superuenientem af-
finitatem. VI. Per absolutionem à iudice
factam, quia contraxerunt intra annos
pubertatis, & peruenientes ad illos, petunt
absolutionem. VII. Per lapsum tempo-

ris

ris præfinito ad contrahendum de præfenti. **III.**
VIII. Per superuenientem lepram, vel
 alium morbum contagiosum, aut notabi-
 lem deformitatem. **IX.** Per superuenien-
 tem fornicationem alterius. **X.** Per votum
 castitatis præcedens, non tamen per sequens:
 quoniam alter non potest vouere in præiu-
 dicium alterius excepto voto religionis. **XI.**
 Per superuenientem capitalem inimicitiam. **XII.**
XIII. Per non impletionem promissi. **XIII.** **D**
 Per famam impedimenti canonici ad con-
 trahendum. **XIV.** Per susceptionem ordi-
 nis sacri. **XV.** Per superuenientem cogna-
 tionem legalem. **XVI.** Per asperitatem
 morum alterius. **XVII.** Per aliquid nouè
 superueniens, quod si præcessisset, non fuif-
 sent contracta. num. 26. & 27.

In his casibus regulariter non dirimun- **E**
 tur ipso iure, & qui contraheret absque au-
 ditoritate iudicis in casu quo esset necessa-
 ria, committeret graue veniale. Imò nullo
 modo peccat, quando causa dissoluendi est
 manifesta. Idem quando sponsalia sunt
 clandestina. num. 27.

Qui promisit alicui non ducere aliam,
 quam illam, non tenetur ducere illam: non
 tamen potest ducere aliam. num. 27.

Sponsalia dupliciter transeunt in matri-
 monium. **I.** Per copulam subsecutā affectu
 mari

maritali, id est, cum intentione consummandi matrimonium: & hoc quidem secundum ius antiquum. Sed iam non habet locum post Tridentinum Concilium. n. 28. & c. 25. num. 144. & ca. 27. n. 141.

II. Per declarationem consensus de presenti, verbis vel aliquo signo aperto facti: non tamen per simultaneam habitationem, nec per traductionem sponsæ in domum sponsi, nec per oscula, nec amplexus, nec copulam attentatam. c. 22. n. 28.

De sponsalibus conditionatis, quando transeant in matrimonium, vide Matrimon. IIII.

Qui contrahit matrimonium, vel sponsalia, cum cognata intra primum gradum illius, cum qua contraxit sponsalia, vel matrimonium validum, peccat mort. & matrimonium vel sponsalia sunt nulla. num. 26. & 57.

H Impedimentum iustitiæ publicæ honestatis est impedimentum quod impedit & dirimit inter sponsum vel maritum, & omnes cognatos sponsæ suæ, vel mariti intra gradum prohibitum. num. 57.

Ad hoc impedimentum non requiritur copula: illa autem interueniente oritur aliud impedimentum affinitatis. Ante Trid. non requirebatur, quod matrimonium, vel sponsalia

MATRIMONIUM III. 525

salia iure valerēt, & impediēbat vsque ad 4. gradum. At nunc requiritur quod sint valida, & solum impedit intra primum gradum. num. 57.

Qui post contracta sponsalia cum vna, I deinde cōtrahit matrimonium cum cognata eius, priorem debet accipere, quia secundum nullum fuit. Quod si secundam cognouit, neutram potest accipere; non primam, propter impedimentum affinitatis, ortum ex copula; non secundam, propter impedimentum publicæ honestatis ortum ex primis sponsalibus. c. 22. num. 26. & tit. 57.

Peccat mort. qui post contracta sponsalia I. cum vna, contrahit cum alia matrimonium vel sponsalia. num. 72.

Sponsalia clandestina non sunt annullata per Trid. num. 144. c. 25.

De eo qui deflorans virginē promisit ex animo eam ducturum, quando teneatur ducere, quando non. vide tit. Luxuria.

MATRIMONIUM III.

Quoad verba absoluta.

ILLA verba requiruntur, & sufficiunt ad matrimonium quibus cum dicto vel signo statim significatur alterum alteri sui corporis

ris

526 . MATRIMONIUM IV.
ris potestatem tradere, quomodolibet dicantur. ca. 23. num. 20.

Quando constat de voluntate contrahentium, non refert quoad utrumque forum, quibus verbis utantur: quoniam si est utriusque voluntas contrahendi de presenti, matrimonium fit: si de futuro, sponsalia tantum. num. 79.

MATRIMONIUM IV.

Quoad verba sub conditione.

QUOAD forum interius in nullo casu matrimonium vel sponsalia contrahuntur ante impletam conditionem, si verè fuit animus suspendendi, usque ad implementum conditionis. ca. 22. n. 66. 67.

Conditio turpis, & contra bonum individualitatis, & contra fidem matrimonij, annullat matrimonium. num. 66.

Conditio turpis, vel impossibilis, quae nec est contra substantiam, nec bonum matrimonij non annullat, neque suspendit, sed habetur pro non adiecta. c. 22. n. 66.

Conditio honesta suspendit, donec impleatur, dummodo ponatur à principio, & suspensivè, & ambè partes expressè consentiàt conditioni, vel vna pars expressè, & altera tacite. num. 62. & 66.

C Quòd si talis conditio sit honesta, & de re prateri

præterita, vel præfenti, non est vera conditio: imò si est vera, matrimonium statim valet; si falsa, est nullum. *ibid.*

Causa, modus, & demonstratio numquam suspendunt matrimonium: annihilant tamen, quando sunt contra substantiam, vel matrimonij bonum. *ibidem.*

Per hæc verba, *duco te in uxorem si cras* **D**
oriatur Sol, est matrimonium purum quoad Ecclesiam, non tamen quoad forum interius, si verè fuit animus suspendendi consensum vsque ad ortum Solis. n. 67.

Matrimonium contractum cum hac conditione, *si pater voluerit*, & pater postquam semel contradixit, consentit, validum est, si consensus contrahentium durat vsque ad consensum patris. num. 63.

Quòd si pater tacet, nec consentiens, nec **E**
contradicens expressè, validum est, si per signa colligitur, illum tacere, quia placet ei: & nullum, si colligitur tacere, quia displicet ei: in dubio tamen nõ videtur ideo tacere, quia placeat ei. *ibidem.*

Si tempore quo ponitur ista conditio, *si*
pater voluerit, pater est mortuus ignorãte filio, matrimonium est nullum: si autè sciente, validum est: quia conditio est impossibilis, & habetur pro non adiecta. n. 64.

Si ante impletam conditionem, altera **F**
partium

partium voluntate mutata contrahit absolute, cum alia valet, secus si contrahat post impletam. c. 22. n. 64.

Qui dicit, *contraho tecum matrimonium si permiseris coitum*, matrimonium est nullum, si intelligit de fornicario. Si verò intelligat de uxorio, perfectum est simul atque coierit. n. 65.

Qui dicit in futuro, *contraham tecum si permiseris coitum*, manent sponsalia pura, & absoluta, si intelligit de fornicario: si verò de licito sunt conditionalia, quæ secuta copula licita transeunt in matrimonium, secundum ius antiquum, non tamen post Trident. n. 26. & 65.

Per hæc verba, *contraho tecum, si te virginem inuenero*; intelligendo per inspectionem honestarum feminarum, est matrimonium conditionale: si per copulam intelligit, est purum quoad Ecclesiam. n. 66. Quod si expressè dicat *contraham tecum si te per copulam virginem inuenero*, sunt sponsalia pura. ibid. Si verò dicat *contraham tecum, si te per honestas feminas virginem inuenero*, erunt sponsalia conditionata. Ibidem.

MATRIMONIUM V.

Quoad intentionem & consensum.

A PECCAT mort. qui contrahit matrimonium, vel sponsalia fictè, & matrimonium est nullum,

nullum, quamvis copula sequatur, si postea
verè in eam non consensit. Nec sufficit co-
habitatio cum ea tamquam propria vxore,
etiam si crederet sufficere, nisi coiret, vel co-
habitaret animo contrahendi denuò, quia
per talem cohabitationem & copulam non
vult denuò contrahere, sed vti matrimonio
antea contracto. c. 22. num. 76.

Teneturque stabilire matrimonium fictè
contractum, nisi sit magna inæqualitas; &
tunc tenebitur restituere damna sequuta. De-
cepta verò non potest alteri nubere, nisi iu-
dicio prudentis viri credat deceptorem verū
dicere. Cuius rei signa erūt, si ille statim post
contractum matrimonium, id declarauit, &
cum alia contraxit, vel religionem est pro-
fessus: vel si id non declarauit, statim postea
tamen iuramento firmavit, & alioqui est fide
dignus, & suæ conscientiæ curam habens, &
honorum consuetudine vtens. Idem si adeò
dispares sint, vt verisimile sit illum noluisse
cum illa cōtrahere: aut si sint alia huiusmo-
di indicia, vt illa tutò possit alteri nubere.
Alioqui non licebit. nam sæpe nobiles & di-
uites solent ob egregiam formam, vel alios
fines, verè contrahere matrimonium cum
plebeiis fœminis. n. 77.

Peccat mort. contrahens cum aliqua legi-
tims verbis, protestatus prius absque iusta
LI causa

causa per nulla verba esse sibi animum contrahendi, quamvis eam carnaliter non cognosceret, & in foro exteriori iudicaretur pro matrimonio. Si verò id protestatur ob iustā causam, quam habet, nec peccat, nec censebitur matrimonium in illo foro. num. 78.

Quibus verbis utendum, cum constet de voluntate contrahentium, vide Matrimonium. III. lit. B.

Non requiritur ut ambo dent consensum simul, eodem loco & tempore, dummodo prior in consensu perduret. num. 80.

D Si unus consentit verè, & alter fictè, qui tamen post aliquot dies verè cōsentit, prior in suo consensu permanente, fit verum matrimonium. Consensus autem tamdiu dicitur durare, quamdiu non receditur ab eo. nu. 80.

MATRIMONIUM VI.

Quoad consensum coactum.

A PECCANT mort. parentes, qui cogunt ad matrimonium filios, qui votum continentia, vel religionis emisissent in ætate legitima. c. 14. n. 17. An verò possit filius cogi a patre ut contrahat cum tali, vide tit. Filius.

Peccat mort. qui metu iusto cogit aliam secum contrahere, vel cum alio: & qui post coactè contractū retrocedit, nolente coacta, nisi

MATRIMONIUM VII. § 31

nisi iusta causa superueniens excuset. Et potest cogi ad contrahendum. c. 22. nu. 50. § 1.

Peccat mort. qui metu mortis consummat matrimonium. Nam illud metu iusto contractum, & consummatum non valet, etiam si verè consentiat. nu. 51.

Metus iustus cadens in virum constantem, est ille quo minus malum eligitur causa vitandi maius. Sed hoc intelligitur ad effectum excusandi à peccato, non ad iudicandum firmitatem, vel infirmitatem actus. Nam ad hoc iudicio boni viri iudicandum est, quis dicatur metus iustus. Verumtamen minor metus sufficit in femina, quam in viro. n. 51. Vtrum metus reuerentialis annullat matrimonium. vide c. 22. n. 51.

MATRIMONIUM VII

Quoad consensum clandestinum.

CIRCA Matrimonia clandestina statuit Trident. sess. 24. c. 1. de Reform. hæc sequentia.

I. Errare, dicentes quòd matrimonia clandestina ante Trident. non erant valida. Vel, quòd filius non potest, sine consensu parentum, matrimonium contrahere. Vel, quòd parentes possunt illud irritare. II. Quòd matrimonia clandestinè contracta, quamuis valida fuerint ante

Ll 2 ipsum

ipsum concilium, tamen contrahere illa semper fuit detestabile.

III. Precipit sancta Synodus, ut in posterum antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium parochò tribus continuis diebus festiuis in Ecclesijs inter Missarum solenni publicè denuntietur inter quos sit matrimonium contrahendum: quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonij in facie Ecclesijs procedatur, ubi parochus, viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat, Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. Amen. vel alijs utatur verbis iuxta receptum uniuscuiusque prouinciarum ritum. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiosè impediri posse, si tot precesserint denuntiationes: tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel saltem parochò, & duobus vel tribus testibus presentibus, matrimonium celebretur; deinde ante consummationem denuntiationes in Ecclesijs fiant, ut si aliqua subsint impedimenta, facilius detegantur, nisi Ordinarius ipse expedire iudicauerit, ut predicta denuntiationes remittantur: quod illius prudentia & iudicio sancta Synodus relinquit. Quia aliter quàm presente parochò, vel alio sacerdote, de ipsius parochi vel ordinarij licetia, & duobus

bus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentauerint, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino reddit inhabiles, & huiusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos presenti decreto irritos facit, & annullat.

III. Quod quicumque sacerdos sine licentia parochi coniunxerit matrimonio aliquos, maneat suspensus, donec ab ordinario eius, qui coniungere debebat, absoluitur. V. Parochus, contrahentium, & testium nomina, & matrimonij contracti locum describat, & librum apud se custodiat. VI. Quod contrahentes antequam contrahant, vel triduo ante consummationem matrimonij confiteantur, & comunicent. VII. Quod laudabiles consuetudines & ceremonias, quas, ultra predictas, circa hac quaque prouincia habeant, adhuc seruent & retineant. c. 22. n. 68. & 69.

Vnde infertur quod peccat mortaliter qui contrahit matrimonium clandestine. c. 16. num. 36.

Matrimonia sine proprio parochi & testibus clandestine celebrata & contracta, sunt omnino irrita & nulla post Trid. Matrimonia vero coram parochi & testibus contracta, sunt valida, etiam si fiant sine trina monitione; dicentur tamen clandestina ob alios effectus. n. 70. c. 22.

Peccat mortaliter, qui contrahit matrimo-

monium etiam publicè non præmissa trina monitione.num.68.

Qui contraxit clandestinè, peccat mortaliter in aliquibus casibus, non publicando, quamvis matrimonio non vtatur, videlicet quando altera pars perit vt publicetur, aut periculum incontinentiæ imminet, & nulla est iusta causa, qua differatur: imò si tale periculum non sit, & vterque consentiat; tamen si timètur damna ex tali matrimonio, eo quòd non publicatur, peccat non publicando: aliàs non. cap. 16. num. 38.

Qui post contractum primum matrimonium clandestinè, contrahit secundum publicè; peccat si vtatur secundo, etiam compulsus sub excommunicatione. Tenetur tamen cum secunda conuiuere, præcipiente prælato, si possit absque periculo copulae, alioqui verò minimè. cap. 16. num. 39.

Qui ante Trident. clam cõtraxit, & consummauit, & postea quia ipse id negauit in iudicio, ipsa alteri nupsit, non potest ipse religionem ingredi. cap. 22. num. 24. Quòd si is cui illa secundò nupsit, moreretur, teneretur iste eam accipere, etiam post professionem. ibidem.

In denuntiationibus potest Episcopus iusta de causa dispensare, vt omittantur: veluti si nobilis velit contrahere cum ignobili, di-
ues

MATRIMONIUM VII. 535

nes cum paupere, senex cum adolescentula, aut timeatur consanguineorum vel aliorum malitiosa impeditio. cap. 22. num. 70.

Vtrum autem matrimonium contractum in facie Ecclesie, contractum absque proprii Sacerdotis, vel eius locum tenentis presentia, sit validum, Doctor manet dubius, in cap. 22. num. 69. arguens pro vtraque parte, sed cap. 25. in fine tenet non valere.

Facies Ecclesie potest dici ianua Ecclesie, vel ipsa Ecclesia, vel presentia multorum saltem cognatorum, & vicinorum, & idoneus testium numerus. Sed nunc facies Ecclesie quoad matrimonium est presentia proprii parochi, vel eius locum tenentis, & duorum vel trium testium. cap. 22. num. 70.

Nulla causa quantumuis iusta, potest hodie facere, vt matrimonium sine parocho, aut eius vicario, & testibus, nouo contractum sit validum. Neque Episcopi possunt dispensare, vt illorum presentia non adhibeatur. num. 70.

Qui vero publice, & premissis denuntiationibus, seruataque forma Conc. Trident. contraxit matrimonium, sed nullum, ob aliquod impedimentum occultum, tenetur post obtentam dispensationem denuo contrahere, potestque clandestine, & in foro conscientie tantum contrahere. cap. 16. num. 36.

Ll 4 Imò

Imo Pius V. declarauit, non requiri præsentiam parochi neque testium ad huiusmodi matrimonium nullum, per dispensationem obtentam denuo contrahendum, & reualidandum. cap. 22. num. 70. Quæ declaratio est valde vñtata in Pœnitentiaria Romana. cap. 16. num. 37. & cap. 22. num. 70.

Minor, qui timet se à suo curatore traditum iri alicui nuptui parum conuenienti, potest clandestinè, id est, sine denuntiationibus, non tamen sine parochi & testibus, contrahere cum alia sibi multùm conuenienti. cap. 16. num. 36. 37.

Confessarius & testes, qui procurant, & faciunt, vt aliquis gladio grauitè ictus & iam iam moriturus, ducat vxorem concubinam suam, vt liberos ex ea susceptos legitimos faciat, & ipse in bono statu moriatur, in nullas censuras, neque alias pœnas incidunt. num. 37.

Vtrum coniuges clandestino matrimonio vtentes peccent, vide, Matrimon. X. §. 13.

Sufficit ex declaratione Pij V. parochus habitationis fœminæ, quãdo matrimonium celebratur in parochia fœminæ. Et iuxta declarationem Gregorij XIII. sufficit parochus viri, quando contrahitur in parochia viri. Additum in Nou. cap. 25. num. 144. in fine.

Spon

Sponsalia clandestina valida sunt etiam post Trid. ibidem.

MATRIMONIUM VIII.

De impedimentis in genere.

Dvplex est impedimentum. vnum impediens tantum: alterum impediens ac dirimens. Diciturque dirimens, non quod dissolvat matrimonium legitime contractum ante huiusmodi impedimentum, sed quia contrahentes post illud peccant mort. & matrimonium est nullum. cap. 22. num. 29.

Qui credens impedimentum esse dirimens, quamvis non sit, contrahit, peccat mort. & matrimonium non valet, si credebat illud non valere: aliis sic. num. 49.

Non tenetur alter coniugum credere subesse impedimentum dirimens, eo quod vnus testis etiam fide dignus iuratus, & amicus, & proprius parochus id affirmet ei. num. 82.

Matrimonium contractum ab ignorante impedimentum dirimens, non incipit valere per solam cessationem impedimenti: sed requiritur novus consensus, concessa ei qui ignoraverit libertate renunciandi, seu renuendi. Satis tamen datur libertas quando

declaratur impedimentum, etiam in genere, & non cogitur ad contrahendum. cap. 22. num. 47.

¶ **C** Matrimonium nullum ob aliquod impedimentum dirimens, non incipit valere propter dispensationem denuò superuenientem, nec per solam cohabitationem, & copulam subsequenter, nisi adsit nouus & mutus consensus. num. 76. & 86.

Inter infideles potest dari impedimentum dirimens per eorum leges. Non tamen comprehendunt eos impedimenta Ecclesiastica, quantum ad matrimonia contracta in sua infidelitate. num. 49.

Aliquod impedimentum dicitur iuris naturalis, quia ex se dicit indecentiam, non tamen tantam, ut absque lege positua diuina, vel humana obliget, & ita non constituit ius naturale. num. 84.

Excommunicatio non est impedimentum dirimens. cap. 9. num. 2. & cap. 22. num. 81.

Sciens aliquem cognouisse consanguineam eius, quam vult ducere, tenetur denuntiare. cap. 16. num. 58. cap. 18. num. 54.

Peccat mort. qui iussus sub excommunicatione, non denunciat impedimentum quod scit. cap. 22. num. 83.

Si impedimentum est occultum, & ortum ex peccato, qui illud scit, debet prius secreto mone

MATRIMONIUM IX. 539

monere: quòd si non sufficiat, denunciet Superiori, quamvis probare nõ possit; quoniam ad impediendum matrimonium nondum contractum, sufficit testimonium vnus. Si verò credit ex denunciatione magnum futurum scandalum, non tenetur denunciare, quamvis probare possit. num. 83.

MATRIMONIUM IX.

*De impedimentis impedi-
entibus tantum.*

Septem sunt delicta, quæ impediunt, & non dirimunt Matrimonium.

I. Incestus, qui proprie est solus accessus ad consanguineam, vel affinem in gradu prohibito. cap. 22. num. 74.

Primò, Ex omni incestu oritur impedimentum affinitatis impediens & dirimens. Secundò, Ex incestu cum affine admissò durante matrimonio oritur impedimentum contrahendi cum quacunque alia. Tertiò, Ex incestu cum consanguinea, oritur duplex impedimentum, scilicet affinitatis, & ne possit cum alia contrahere. num. 74. & quidem in duobus primis dictis omnes conueniunt, in tertio autem dissentiunt plerique Theologi, & plerique canonistæ: sed im-
meri

merito tum propter aliqua capitula iuris canonici, tum etiam quia hoc impedimentum non inductum est propter iniuriam, quæ fit matrimonio, per coitum cum cognata coniugis: quandoquidem idem impedimentum oritur ex incestu cum affine, nullo præcedente matrimonio. Super hoc impedimento ut possit cum alia quacumque, præter incestuosam, contrahere, Episcopus dispensare potest, si timetur periculum incontinentiæ; imò iam ex consuetudine non est necessaria dispensatio. num. 75. II. impedimentum est vxoricidium: idem de viricidio, & mariticidio. III. Raptus sponsæ alterius. IV. Proprij filij de fonte susceptio, animo, ne vxor à se debitum possit exigere. V. Presbytericidium. VI. Peccatum, propter quod pœnitentia solemnis iniuncta & facta fuit. VII. Contractus matrimonij scienter cum moniali. num. 74. Iam de impedimentis quæ impediunt & dirimunt.

MATRIMONIUM X.

De impedimentis quæ impediunt & dirimunt: & dividitur in 9. §§.

§. I.

AD *impedimento erroris.* Peccat mort. qui procurat matrimonium, vel sponsalia à se

à se vel ab alio contrahi per errorem, quæ alias non contraherentur. num. 32.

Error personæ aut conditionis, seruilis annullat matrimonium: non tamen error fortunæ. Atque error fortunæ est credere de paupere, quod sit diues, aut de plebeio, quod est nobilis, &c. Error personæ est, credere de vna persona quod sit alia, vt quod sit filius talis regis vel comitis, cum tamen non sit: si autem credatur indeterminate quod sit filius regis vel comitis, vel nobilis, non est error personæ, sed fortunæ vel qualitatis; nec etiam est error personæ, si credatur filius talis regis, vel comitis, & tamen non habeatur cognitio talis regis & talis filij. Error etiam personæ est credere quod sit primogenitus alicuius, cum tamé non sit; & propter spem quam habet, illum successurum in bonis paternis, nubit tamquam primogenito. si verò absolute consentiret in præsentem, valet matrimonium. ibidem.

Error conditionis seruilis est, quo quis credit seruum esse liberam. Vnde peccat mort. seruus contrahens matrimoniū cum libera ignorante statum serui, & matrimonium est nullum. Quod si seruus cum serua contrahat, putans eam liberam, matrimonium est validum. cap. 22. num. 33.

Matrimonium erroneum, si est clandestinum,

finum, propria auctoritate potest dissolui quoad omne: si est publicum, potest separari quoad thorum, propria auctoritate; & quoad cohabitationem, per sententiam iudicis, etiam si dominus servam post matrimonium manumiserit, libero coniuge inscio, & etiam si cum ea libera facta copulam habuerit conjugalem: nisi adsit novus consensus. *ibidem.*

Si tamen liber rescivit eam esse servam, & tamen consensit in eam saltem per copulam vxorio affectu habitam, non fit validum matrimonium, post Trid. *ibid.*

Si liber matrimonium ignoranter contraxit cum serua, & nihilominus eam vult habere pro vxore; & illa non vult, matrimonium est nullum: sed cogetur ab Ecclesia, vt consentiat. *ibid.*

Dominus tradens ancillam suam tãquam liberam, libero credenti eam liberam, videtur manumittere illam. *ibid.*

Peccat mort. Dominus, qui consentiens matrimonio serui sui, non concedit ei locum ad reddendum debitum. Seruus autem contrahens inuito Domino magis tenetur ad eius obsequium, quã ad reddendum debitum: secus si contrahat eo consentiente. *num. 34.*

Quamuis Dominus possit vendere seruum suum, qui de eius consensu contraxit
matri

matrimonium, non tamen in regiones tam remotas, vt impediatur vsus matrimonij. nu. 34. Peccat Dominus qui prohibet seruis suis contrahere matrimonium. ca. 14. nu. 2 1.

§. II.

DE *impedimento voti, & ordinis.* Peccat mort. qui post votum simplex castitatis contrahit matrimoniū vel sponsalia; quamuis contraheret animo ingrediendi religionem post contractum. valeret tamen matrimonium quamuis vterque vouisset castitatem. cap. 22. num. 73.

Iste antequam consummet, tenetur ingredi religionem, vt hac via obseruet votum. vnde si consummet etiam ad petitionem alterius, peccat. ibid. cap. 12. nu. 80. vnde contrahendo & consummando committit duo peccata. cap. 12. nu. 80.

Post consummatū verò matrimoniū non peccat reddendo petenti. & hoc non solum petenti formaliter, verum etiam virtualiter, nepe per signa vel alia indicia: peccat tamen quoties petit. poteritque Episcopus dispensare post consummatum matrimoniū vt petat. c. 16. n. 30. & quamuis hac perpetua prohibitio petendi debitum, videatur secundum mentem auctoris comprehendere etiā eum, qui vouit non nubere: ego autem solum
intel

intelligo eam de illo qui vouit continentiam. quoniam votum non nubendi, non aequiualeat voto castitatis.

Et quod dictum est, peccare illum, qui post votum castitatis contrahit matrimonium, animo non consummandi, intelligendum est, nisi contrahat ad euitandam mortem vel infamiam. *ibidem*.

Iste autem, qui contraxit post votum castitatis, non potest mortua prima uxore de nouo contrahere, quamuis iurasset. *c. 22. n. 73.*

Peccat etiam mortaliter qui contrahit cum ea, quam scit vouisse castitatem. *ibid.* & quod diximus de voto, idem dicendum est de iuramento. *ibidem*.

Qui interrogatus, an valeat matrimonium contractum post votum simplex castitatis, respondet, valere; peccat, si persona interrogans est talis quod detur ei occasio peccandi, aliàs non. *ibidem*.

Qui post votum religionis contrahit, peccat, sed poterit debitum petere. *cap. 12. num. 47.*

Matrimonium ratum non consummatum dissoluitur per votum solemne religionis. *cap. 22. num. 21.*

Qui post contractum matrimonium, & non consummatum, vouit religionem, tenetur implere. *num. 27.*

Matri

Matrimonia, vel sponsalia contracta post votum solemne, sunt irrita & nulla. num. 31.

Peccat mort. qui sacro ordine initiatus contrahit, & est excommunicatus, & matrimonium est nullum. nu. 52.

Peccat mort. coniugatus ordinem sacrum suscipiens, in scia vel inuita vxore: fecus si suscipiat ex consensu legitimo vxoris. & erit legitimus, si sit senex, & castitatem voueat. nu. 32. vel religionem ingrediatur. ibidem. 52.

Maritus, cuius vxor fornicata est, ipso non dante causam, potest ingredi religionem. num. 24. Sed ipsa non potest alij nubere, dum ipse vixerit, si matrimonium fuit consummatum inter eos.

§. III.

DE impedimento consanguinitatis intra quartum gradum. *Consanguinitas est propinquitas duarum personarum, quarum una ex altera, vel amba ex eadem descendunt.* cap. 12. nu. 41.

Consanguinitatis gradus necessario & distincte est constitendus vsque ad quartum. cap. 7. nu. 4. & cap. 16. nu.

Consanguinitas intra quartum gradum, impedit matrimonium, & dirimit. Et qui

M m contrahit

contrahit cum ea, quam credit vel credere debet esse suam consanguineam, intra quatum gradum inclusivè, est excommunicatus, nisi excuset eum ignorantia. cap. 22. nu. 42. 43.

Qui verò contrahit sponsalia, peccat mort. sed non est excommunicatus, nisi habeat cum tali consanguinea copulam affectu maritali. cap. 22. nu. 43.

Excommunicatio lata contra consanguineos contrahentes, non comprehendit consulescentes, mandantes, nec aliter consentientes. cap. 27. nu. 51.

Qui credentes se esse cognatos contrahit (cum non sint) peccant mort. & matrimonium non valet, si credebant illud non valere: alias verò sic. cap. 22. nu. 43.

De aliquo gradu aut impedimento prohibito, Levit. 18. habente indecentiam, vide Matrim. VIII.

§. IIII.

DE impedimento affinitatis. *Affinitas est propinquitas duarum personarum, quarum una cum consanguinea alterius copulam habuit completam. Contrahiturque tam per copulam illicitam, quam per licitam perfectam:*

non

non tamen sufficit sola penetratio feminae, nec violatio virginittis, nec alia quavis turpitudò cum muliere facta, sine seminis effusione in eius vas naturale: nec sufficit actus Sodomiticus. Atque affinitas quidem ex copula licita, intra quartum gradum impedit ac dirimit matrimonium. Orta verò ex copula illicita, non extenditur, ultra secundum gradum. Nam reliqui, tertius scilicet & quartus huius postremæ affinitatis gradus, nullo modo impediunt, ita vt post decretum Concilij Tridentini sit validum, & post decretum Pij V. sit licitum. cap. 22. nu. 42.

Affinitatis gradus est necessariò confitendus. cap. 7. nu. 4. iuxta differentiam copulae licitæ vel illicitæ, ex qua talis affinitas oritur. cap. nu.

Qui contrahit scienter cum impedimento affinitatis, peccat mortaliter, & est excommunicatus. Quando verò excuset ignorantia, vide. capit. 22. num. 43. & capit. 27. n. 141. & in hoc Comp. tit. Excom. V I. §. 6. lit. E.

Si verò contrahit sponsalia cum affine, non est excommunicatus, nisi sequatur copula cum affectu maritali. ibidem. An ista excommunicatio comprehendat alios quam contrahentes. vide tit. Excom. V I. §. 6. lit.

DE impedimento cognationis spiritualis. *Cognatio spiritualis est attinentia duarum personarum, qua ex statuto Ecclesiastico oritur per baptismi & confirmationis administrationem, vel susceptionem baptizati, vel confirmati, impediens ac dirimens matrimonium.* Vnde peccat mort. qui contrahit matrimonium cum alia contingente se huiusmodi cognatione spirituali; atque matrimonium est nullum. cap. 22. nu. 36.

Tota cognatio spiritualis redacta est hodie per Trident. ad solam eam, quæ est inter patrinum & baptizatum, patrem & matrem baptizati. & inter baptizantem & baptizatum, & patrem & matrem baptizati. Vnde cessant iam fraternitas, compaternitas, inter baptizantem, & patrinos. & reliqua omnia. Hæc cognationis spiritualis restrictio, intelligenda est etiã in ea quæ oritur ex confirmatione. nu. 36. 37. 40.

Patrini autem baptizati illi soli intelliguntur, qui ad baptizatum de fonte suscipiendum, electi sunt ab iis ad quos spectat. Quod si alij extra designatos baptizatum tetigerint, nullam cognationem spiritualem contrahunt. Quando autem ex negligentia Parochi, vel alterius, vel tempore

tempore necessitatis, nulli patrini designantur, verius esse iudicatur, quòd omnes qui tangunt baptizatum, & respondent, contrahunt cognationem spiritualement secundum iura antiqua, siquidem Trident. nil loquitur de hoc casu. capite 22. numero 37. & 39.

Cognatio spiritualis orta ex Baptismo, seu Confirmatione, superueniens matrimonio contracto, non dissoluit, sed tantum impedit petitionem debiti. Pater autem baptizans in necessitate filium coniugis suæ potest debitum petere. Pater verò baptizans in necessitate filium fornicarium, non potest contrahere cum eius matre sine dispensatione. cap. 16. num. 34. cap. 22. nu. 40.

Catechismus baptismi est instructio baptizandi solenniter facta à Sacerdote de articulis fidei, cum unctioe olei antè quàm baptizetur, & unctioe Chrismatis post baptismum: ex quo actu, & ex exorcismo ibi facto, oritur alia cognatio spiritualis inter easdem personas, inter quas nascitur ex baptismo, sed minor illa, impediens quidem matrimonium, sed non dirimens. Quæ etiam cognatio restricta est post Trident. sicut orta ex baptismo & confirmatione. nu. 40. & 72.

M m 3 Quando

Quando ob necessitatem confertur baptisimus sine solemnitate extra Ecclesiam, tunc contrahitur cognatio spiritualis impediens ac dirimens: quando verò suppletur solemnitas catechismi in Ecclesia, contrahitur cognatio minor impediens tantum. nu. 40.

DE IMPEDIMENTO

cognitionis legalis.

§. VI.

EST propinquitās ex adoptione alicuius in filium, proueniens. Estque triplex. I. Ascendentium vel descendantium, scilicet adoptantis & adoptati, & descendantium eius, quæ nec tollitur dissolutione adoptionis, nec emancipatione. II. Quasi transuersalis, scilicet inter adoptatum, & filios naturales adoptantis durante adoptione, & filio naturali existere in potestate patris, & non aliàs. III. Est legalis affinitas scilicet inter uxorem adoptati, & adoptantis & inter adoptatum, & uxorem adoptantis: & hæc durat perpetuò sicut prima. Quælibet autem harum impedit ac dirimit matrimonium, cap. 22. n. 44. Neque etiam contrahitur inter adoptatam, & matrem adoptiui, nu. 45.

§. VII.

DE IMPEDIMENTO

frigiditatis, furie, amētia, & de maleficio.

§. VII.

IMPO T E N T I A seu frigiditas perpetuā impedit ac dirimit matrimonium: non tamen temporaria. Illa verò est *impotentia perpetua, quā sine miraculo, vel probabili periculo animæ vel corporis, non potest tolli.* Impotentia autem generandi, quæ reperitur in senibus, vel in sterilibus, non impedit. num. 59.

Peccat mort. qui credens se perpetuò impotentem, contrahit matrimonium, vel sponsalia, & contractus est nullus. Idem de contrahente ignoranter, & postea sublata ignorantia vititur matrimonio. ibidem. Possunt tamen conuiuere tanquam frater & soror. nu. 60. & cap. 3. nu. 5. lit. E. Nou. nu.

Qui potens contrahit scienter cum impotente, potest se ab illo separare etiam contra eius voluntatem, quia non est verum matrimonium: vnde non potest coire ad delectationem carnalem, poterunt tamen conuiuere tanquam frater & soror. nu. 60.

Et qui verè maritus est, & non potest

M m 4

semen

552 MATRIMON. X. §. VII.
femen effundere, licitè potest niti ad copulam. ibidem.

Impotentia naturalis perpetua oritur ex frigidityte, & ad hanc reducitur omnis alius naturæ defectus, aut excessus, aut arctio membri, quæ naturalem copulam impediunt. Impotentia autem accidentalis perpetua oritur ex causa accidentali, per maleficium seu fascinationem, ad quam etiam reducitur quodlibet accidentale, quod ex abscissione vel castratione, vel alio artificio oritur, quod vel copulam naturalem vel saltem copulam perfectam impedit: utraque impotentia dirimit, si est perpetua & inhabilis ad copulam naturalem, vel perfectam. nu. 59.

Maleficium seu fascinationem alio maleficio dissolvere, aut rogare aliquem etiam paratum, ut dissolvat, est peccatum mortale. Licitum est tamen, modis licitis dissolvere maleficium, sicut exorcismis Ecclesiasticis. cap. 11. num. 29. Faciens verò maleficium per res sacras, peccat mort. nu. 32.

Furiosus vel amens, tempore suæ amen-
tia non potest contrahere. cap. 22. nume-
ro 29.

DE IMPEDIMENTO

disparitatis cultus.

§. VIII.

PEC CAT MORT. Christianus contrahens matrimonium cum infideli pagana, vel catechumena, nondum baptizata : & matrimonium est nullum.

Peccat etiã m. Christianus Catholicus cõtrahens cum hæretica, vel schismatica: matrimonium tamen valet. num. 48. & 49.

Potest cõiux catholicus discedere à cohabitatione conjugis hæreticæ ad suam hæresim inducentis, non tamen potest cum alia contrahere denuo. nu. 22.

Matrimonium factum vel contractum à infidelibus contra eorũ leges, non valet : & multò minùs contractum ab eis contra leges naturales, vt fit quoties cum pluribus quàm cum vna contrahitur. nu. 48. cap. 22.

Matrimonium contractũ inter infideles etiam consummatũ diuiditur, si alter conuertatur ad fidem : non tamen dirimitur ob solã conuersionem alterius. Nam quamuis conuersus licitè posset separari quoad cohabitationẽ, melius tamen faceret conuiuendo quouisque spes esset conuersionis : imò non

Mm 5 potest

potest cū alia contrahere, nisi quando infidelis nollit habitare absque contumelia creatoris, & sine studio pervertendi, vel inducendi ad mortale. Quod procedit etiā si cōtraxerint in gradibus per Ecclesiam prohibitis, dūmodo secundū leges eorū matrimoniū sit validū. Si autē infidelis antequam fidelis cū alia contrahat, cōuertatur ad fidē, tenetur fidelis illam recipere. cap. 22. n. 49.

DE IMPEDIMENTO

criminis vel delicti.

§. IX.

QVANDO possit negari debitū propter adulterium vide tit. Matrimon. X. l. 11.

Peccat mort. maritus qui occidit uxorem propriam in adulterio deprehensam. cap. 15. nu. 3.

Non potest maritus accusare adulterij uxorem, quando ipse etiam adulteratus est, nec quando fuit vim passa: nec quando probabiliter credebatur maritum mortuum: nec quando aliquis ad eam accessit sub specie mariti: nec quando maritus praebet adulterandi occasionem, vel tolerat. cap. 16. nu. 29.

Occisio

MATRIMONIUM X. 333

Occisio coniugis alicuius, causa contrahendi cum eius coniuge, facta utroque machinante, perpetuo impedit ac dirimit; quāvis alter esset infidelis, & patrata sit occisio ad eius conuersionem. Facta verò altero tantum machinante, non sufficit, nisi adulterium interueniat. Facta alio fine quàm contrahendi, non sufficit; nec rati habitio occisionis suo nomine facta. Sufficit tamen iussio, vel consilium, cap. 22. numer. 46.

Adulterari scienter cum coniuge alterius, & contrahere matrimonium, vel dare fidem de contrahendo, impedit ac dirimit: non tamen sufficit datio fidei, nec contractus sine adulterio. Si verò adulterium non sit factum scienter, sed uterque probabiliter ignorabat, possunt cōtrahere mortuo coniuge, qui impediēbat. Si verò altera tantum pars ignorabat, eius arbitrio relinquitur contrahere vel non: dummodo non rescuerit ante mortem coniugis impediētis; vel, postquam rescuerit, non habuerit copulam. n. 46.

IMPEDIMENTUM Iustitiæ publicæ honestatis: vide titulum Matrimonium. II.

MATRIMONIUM

*MATRIMONIUM XI.**De diuortio.*

MATRIMONIUM, quoad thorum & cohabitationem, diuiditur iudicis auctoritate propter fornicationem subsecutam, & etiam propter sauitiam, vel asperitatem morum coniugis: non tamen quoad vinculum. Quoad thorum verò solùm, potest diuidi propria auctoritate propter fornicationem. cap. 22. num. 21.

Coniux Catholicus potest discedere à cohabitatione coniugis hæreticæ, inducentis ad suam hæresim. nu. 22.

Idem potest coniux à coniuge inducente ad aliquod mort. si non potest eum ab inducèdo retrahere. Idem potest vxor à fure nolente cessare à furando. Neque tenetur vxor cohabitare cum marito volente eam occidere. Non tamen potest coniux discedere à coniuge ob lepram, vel morbum gallicum, nec ob amentiam, nisi immineret periculum mortis. num. 22.

Non peccat vxor non discedens à marito perseverante in adulterio. Idem est de marito respectu vxoris adulteræ, si timeret eam non posse ab adulterando arceri sine maxi-
mo

MATRIMONIUM XII. 557

mo scandalo, vel damno publico, vel privato. num. 22. 23.

Diortium propter adulteriū fieri potest quoad forum interius, absque iudicis auctoritate; secus quoad exterius, nisi adulterium sit notorium. Maritus autem, cuius vxor fornicata est, ipso non dante causam, potest ingredi religionem. num. 24.

MATRIMONIUM XII.

De secundis nuptijs.

PECCAT mort. coniux, qui antequam sit certior de morte prioris, contrahit cum alio. cap. 16. n. 40. Quid debeat facere circa debitum conjugale, vide Matrim. 13.

Ad contrahendum secundo requiritur notitia de morte prioris. Ad quam sufficit fama; vel, si erat senex; vel, praelium ingressus, non apparuit. c. 22. n. 53. & 54.

Peccat mort. qui credens priorem vxorem viuere, cum re vera mortua esset, contrahit cum secunda, & matrimonium est nullum, si dum contrahit, credit illud non valere: secus si credit valere, licet sciat se peccare contrahendo. n. 56.

Peccat mort. contrahens cum secunda uiuente prima etiam nondum cognita. nu. 53.

MATRIMONIUM

*MATRIMONIUM XIII.**De debito coniugali.*

A QVOD debitum coniugale vir & vxor sunt æquales. cap. 12. n. 87. lit. E. Nouo nam. 89. & cap. 16. num. 27.

Debitum coniugale potest peti ab eo qui emisit votum religionis. cap. 12. n. 47.

B Coniux qui emisit votum castitatis, & matrimonium consummauit, tenetur reddere debitum. cap. 12. num. 39. Etiam petenti virtualiter. cap. 16. num. 30. Sufficit enim vt illud petat interpretatiue cum certis exemplis. num. 25. Non tamen potest ipse petere. cap. 12. num. 39. cap. 16. num. 30. cap. 22. num. 73.

Et cum isto potest dispensare Episcopus, vt petat. cap. 16. num. 30. De hac prohibitionem petendi, & de voto non nubendi. vide Matrim. X. §. III.

C Peccat mort. qui post votum castitatis emissum cum consensu alterius, petit debitum: & etiam qui debitum soluit ei qui de ipsius consensu votum emisit, non tamen peccat petendo ab eo qui vouit. c. 12. nu. 59. & c. 16. n. 31. Nec ipse vouens peccat reddendo. c. 16. n. 31. Quod si ambo communi consensu vouerunt continentiam, ambo peccant.

peccant mort. reddendo & petendo. Secus si solum præcessit pactum à se mutuò debitum non petendi. num. 31.

Possunt coniuges mutuò pacisci non petere à se inuicem debitum, ne habeant plures filios quàm possint alere: secus, si instaret periculum fornicationis, n. 33. Possuntque recedere ab isto pacto. c. 12. num. 59.

Votum de non soluendo, vel petendo debitum, sine cōsensu alterius, illicitum est. n. 60.

Qui data opera soluit debitum taliter, ut vxor non concipiat, peccat contra naturam. Et qui habet copulā extra vas, vel eo modo, quo vxor non possit recipere semen, peccat mort. & ipsa vxor si consentit in hac, peccat etiam mort. Si verò intra vas ita ut coniux possit recipere semen, licet sit inuerso modo, tantum est peccatum veniale graue. cap. 16. num. 42.

Maritus non peccat sumēdo aromata, vel cibos calidos, ut soluat debitū: quòd si sumat ut magis delectetur, erit solum veniale. n. 15.

Coniux tenetur debitum reddere petenti, etiam tempore Quadragesime, vel diei festi, nisi precibus contrarium suadeat, quæ non debent esse importuna, nec excusat voluntas non habendi filios multos. Excusat tamen si petatur in loco publico vel sacro: vel etiam quando esset periculum mortis, grauis infirmitatis,

mitatis, vel aborsus: & istæ causæ etiam excusant à reddendo debitum coniugi leproso. c. 16. num. 25.

⊗ Reddere debitum in die quo communicarunt, non est peccatum saltem plusquam veniale. c. 21. num. 51.

Peccat mort. coniux reddens debitum in loco sacro, vel sacro, seu benedicto tatum, siue ad modicum tempus existant in Ecclesia, siue diu habitent in ea. & secundum Sotum potest haberi in Campanili vel alio loco contiguo. c. 6. n. 11. c. 16. n. 32.

H Qui petit tempore menstrui, non peccat mort. licet ex tali concubitu credat monstrum concipiendum esse; imò nec venialiter, si eo fine petit, vel reddit, ne consorti sit odio, vel fornicationem eius aut propriam euitet. ca. 16. num. 32.

De absentia mariti quando est licita. vide Maritus.

I Qui fuit patrinus filij sui malitiosè, in baptismo vel confirmatione, vt debitum fraudaret, non potest petere, tenetur tamen reddere. Idem quando ambo fiunt malitiosè filij sui patrini, non possunt mutuò petere, sed tenentur reddere. Quòd si fiat patrinus ob necessitatem, vel ex errore facti, vel iuris, potest petere, & in huiusmodi impedimentis Episcopus potest dispensare. num. 34.

Non

MATRIMONIUM XIII. 561

Non potest coniux post copulam habitam L
cum cognata vel cognato coniugis debitum
petere, sed tenetur reddere. num. 35.

Peccat mort. qui petit debitum, cum ta-
men contraxerit clandestine sine testibus. n.
38. Sed hoc intelligitur quando fuerit scan-
dalum, ut si putetur eam non esse eius con-
iugem: secus, cessante scandalo. nu. 39.

Aduerte tamen hoc matrimonium nullū
esse, post Tridentinum. Vnde quod dictum
est, non procedit nisi in terris, ubi Trid. non
est receptum: vel nisi quando matrimonium
fuisse coram parocho & testibus contractū,
clandestine tamen, id est, sine denunciationi-
bus & aliis, si per mortem parochi & testium
vel alia de causa probatio prioris matrimo-
nij deesset. Nou. num. 39.

Petere & reddere debitum ante benedi-
ctionem nuptialem, non est peccatum mort.
nec prima vice: imò nec veniale. c. 16. num.
38. c. 22. n. 71. 83.

Qui professus est in religione sine consen-
su alterius coniugis, non potest exigere, po-
test tamen petere propter fragilitatem alte-
rius coniugis. c. 12. num. 60.

Peccat mort. qui post susceptum ordinem
sacrum, in scia vel inuita vxore petit debitū:
idem si reddat suscepto ordine sacro, ex con-
sensu legitimo vxoris. Non tamen est legiti-
mus

N n

mus consensus, nisi ipsa religionem ingrediatur, vel nisi sit senex, & castitatem vouerit. cap. 22. num. 52.

Peccat mort. qui dubitans de morte prioris coniugis, petit debitum. Poterit tamen reddere. cap. 16. num. 40. 41. c. 22. n. 54.

Idem de illa, quæ cum antea contraxisset cum vno dicente postea se fictè contraxisse, ipsa contrahit secundo cum alio, antequam haberet probabilem causam credèdi se fuisse deceptam. cap. 22. num. 77.

Non tenetur coniux ante consummatum matrimonium reddere debitum petenti, si vult ingredi religionem; ad quod assignandum est aliquod tempus. c. 16. nu. 26.

Tenetur reddere stulto vel furioso petenti; si reddi possit absque notabili damno reddentis. ibidem.

Peccat mort. maritus petens vel reddens debitum vxori, quam scit adulterari, nisi quando adulterium est occultum, vel illa est iam emendata, vel petit ne & ipse adulteretur, nec aliis prabeat occasionem credèdi se esse lenonem suæ vxoris. c. 16. n. 28.

Vxor autem communiter non peccat petens vel reddens marito, in adulterio etiam publicè perseueranti, quia non est officium eius corrigere maritum. ibidem.

Coniux adulter non potest exigere debitum ab

MATRIM. XIV. & XV. 563

ab innocente, potest tamen petere. cap. 22. num. 23. Et innocens non tenetur reddere adultero petenti, potest tamen si velit, & quamvis innocens coeperit negare debitum adulteranti, tamen si ipse postea adulteretur, tenetur reddere. n. 22. 23.

MATRIMONIUM XIV. De Bigamia. Vxor non fit Bigama ex redditione debiti marito, quem scit adulterari: vir autem sic. cap. 16. n. 17. Cetera vide tit. Bigamia, & Irregularitas. I I.

MATRIMONIUM XV.

De benedictionibus.

VSUS matrimonij ante benedictionem non est mortalis, nec venialis, nec in prima vice. c. 16. n. 38. c. 22. n. 71. 83.

Peccat mort. qui temporibus ab Ecclesia prohibitis accipit benedictionem nuptiarum, aut traducit solemniter sponsam in domum: non tamen si solum contrahit sponsalia, vel matrimonium de presenti. Tempora autem à Trid. pro benedictionibus interdicta sunt ab Aduentu vsque ad Epiphaniam, & à feria. 4. Cinerum vsque ad Dominicam in Albis inclusiue. c. 22. num. 71.

Nn 2 Peccat

Peccat, qui benedicit secundas nuptias benedictione sacerdotali, quæ intra Missam fit, & qui suscipit illam. Secus de ea, quæ datur post Missam. Et secus etiam de illa solenni, ubi est consuetudo contraria: nam tunc possunt benedici secundæ nuptiæ: non solum quando alter coniugum est viduus sed etiam quando ambo sunt vidui. Et à fortiori debent suscipere benedictionem qui contrahentes primas nuptias, ante benedictionem susceptam, ob mortem coniugis de nouò contrahunt secundas. c. 22. n. 83.

MATRIMONIUM XVI.

De dispensatione.

PA P A potest iusta de causa dispensare in matrimonio rato, & non consummato, sicut de facto dispensarunt Paulus III. & Pius III. c. 22. num. 21.

Non tamen potest in consummato: & non dicitur consummatum per copulam, quæ præcessit matrimonium contractum, sed per eam quæ illud subsequitur. n. 84.

Papa potest dispensare in omnibus impedimentis iure humano inductis. n. 89.

In gradibus prohibitis, Leuit. 18. non dispensat

spensat Papa, nisi ob causam grauissimam.
num. 84.

In secundo gradu consanguinitatis numquam est dispensandum, nisi inter principes magnos, & ob causam publicam. n. 87.

Episcopus potest dispensare in matrimonio à se prohibito, & in impedimento incestus, & in omnibus aliis impedimentis quæ impediunt & non dirimunt, excepto voto castitatis, religionis. num. 85.

Non tamen potest dispensare in aliquo impedimento impediente, & dirimente, nisi sit occultum, & matrimonium publicum, & separatio non possit fieri absque magno scandalo, & ad Pontificem Romanum non sit recursus. c. 22. n. 85.

Matrimonium nullum ob aliquod impedimentum dirimens, non incipit valere ob dispensationem superuenientem, nec per solam cohabitationem, aut per copulam subsequentem: sed necessarium est, ut denuò & mutuo consensu contrahatur. cap. 16. num. 36. & cap. 22. n. 47. 86. vide etiam supra Matrimon. 5.

Post Trid. difficilius dispensatur cum impeditis, qui scienter contraxerunt, & consummarunt. n. 86. c. 22. Quauis expressio falsi motus ad dispensandum nocet, non tamen quælibet taciturnitas veri impediens, sed

quando faceretur verum, quod iura præcipiunt
exprimi. ibid.

Item post Trid. in contrahendis matri-
monii, vel nulla omnino datur dispensatio,
vel raro, idque ex causa, & gratis. num. 87.

Ad dispensandum in quarto gradu tres
causæ sunt iustæ iuxta stylum Curia. I. Sci-
licet defectus dotis competentis etiam ad
contrahendum cum poscente se nec requi-
ritur defectus dotis competentis ad contra-
hendū cum sibi æquali. II. Extinctio ma-
gnæ litis. III. Quod maior pars sibi æ-
qualium suæ ciuitatis sunt consanguinei,
vel affines. num. 87.

MEDICVS ET CHI-

rurgus.

Peccat mort. absque sufficienti scientia
medicans cum obligatione restituendi.
cap. 2 §. num. 60. Item qui adhibet medica-
menta morbo, antequam eum cognoscat, &
qui facit, vt infirmus plura medicamenta
accipiat, quàm opus est, ob conventionem
factam inter eum, & pharmacopolam, & te-
netur restituere. nu. 64.

B Peccat mort. qui non vult mederi paupe-
ri aegroto, & qui non medetur diuiti in ex-
tremis

tremis constituto, & ob avaritiam nolenti solvere medico, cum possit postea exigere suum stipendium. & qui detrahit aliis medicis, ne ipso pratermisso, illi vocentur ad curationem. & qui ut experiatur prabet medicinam, de qua dubitat, an sit notabiliter noxia. nu. 60.

Qui non persuadet infirmo confessionem, peccat: quod non habet locum quando manifestum est, morbum non esse periculosum. nu. 61. Imò quamvis sit periculosus, si moneat parochum, vel infirmi curam gerentes, quia credit, infirmo nociturum si ipse id ei dicat. nu. 62.

Peccat mort. si consulit infirmo illicitum coitum, vel ebrietatem, imò si dicat, non tibi consulo, sed si hoc faceres, sanareris. n. 62.

Præbens prægnanti aliquid ut patiatur abortum, peccat mort. imò etiam, si præbeat, ut eam à morte referuet, credens, vel dubitans factum esse animatum. & qui sine iusta causa concedit facultatem non ieiunandi, vel comedendi carnes diebus prohibitis. nu. 62.

Item peccat mort. qui non admonet mortiturum indigentem eius admonitione, ut exeat à peccato. Item qui accipit nimium stipendium, & accipiens mediocre, si alias habeat publicum, cum pacto recipiendi nil

N a 4 amplius,

amplius, & tenetur restituere, quamuis vltro sit ei oblatum. nu. 63.

MENDACIUM.

A Est significatio falsi, vel putati falsi cum intentione fallendi. Et est triplex. Formale tantum, quando dicitur verum putatum falsum. Materiale tantum, quando dicitur falsum putatum verum. Completum, quando dicitur falsum putatum falsum. & rursus diuiditur in iocosum, officiosum, & perniciosum. cap. 18. nu. 2. 3.

B Ad essentiam mendacij non requiritur animus fallendi, requiritur tamen ad eius grauitatem. nu. 3.

Mendacium, de veniali in confessione, vel de mortali legitime confessio, non est peccatum mortale. Si tamen præbeat nullam materiam absolutioni, nisi mendacium veniale, quod non fecit, est mortale. Non tamen est mortale mendacium ex hoc solo, quod sit in iudicio. cap. 21. nu. 37. vnde si ibi sit de re leui, est veniale tantum. cap. 18. nu. 3.

Mendacium in materia fidei, sacrae Scripturae, vel morum, est mortale, quia de se notabiliter est perniciosum, secus si fiat so-
lum

lūm per multiloquium, vel sine animo, & periculo notabiliter nocendi. Vnde non est mort. allegare falsò in pulpito vel in cathedra.nu.4.

Mendacium notabiliter periciosum est mortale: narratio autem fabularum significando expressè, vel tacitè non esse eas veras, non est mendacium.nu.2. Verumtamè mendacium etiam veniale nūquam licet dicere etiam pro saluanda vita.nu.3.

Non mentitur, qui respondet verum iuxta intentionem suam, quando iudex incompetentens, vel competens, sed contra iuris ordinem, vel homo priuatus, per metum, vel importunitatem extorquet iuramentū. cap. 12.nu.8. Quamuis dicat non feci, quod reuera fecit, intelligendo intra se tali hora vel taliter, quod teneatur dicere. num:87. lit.A. Nou.88.

Vnde non mentitur coniux adultera, quæ in testamento filium adulterinum vocat legitimum, intelligendo intra se talem esse communi existimatione. c.16.n.48.

Præterea qui iurauit dicere quod scit, non mentitur si dicat se nescire occulta, quæ non potest detegere. cap. 18.nu.61.

M E M O R I A, frequens de aliquibus peccatis non expedit. cap. 1.nu.32.

Omnis adultus tenetur sub peccato veniali

N n 5

ciali graui memoriter scire symbolū Apostolorum, & orationem dominicam, Latini vel vulgari lingua. cap. 11. nu. 18. §. 7. Nou. nu. 22.

MERCATOR ET MERCATURA.

Non tenetur mercator cessare ab arte, licet ei sit occasio peccandi. ca. 3. num. 5. lit. f. Nou. n.

Ille dicitur *exercere mercaturam*, qui emit ut vendat absque mutatione eius. c. 27. n. 128.

MERCENARIUS.

Impedjens iniuste mercenarium à laborando tenetur ei restituere. cap. 17. nu. 74.

Qui non soluit mercenario diarium suum in ea re quam debet, peccat: & si mercenarius, eo quod non indigeat vendit illud minori pretio, tenetur Dominus pretium competentum adæquare. num. 107. §. 19. Nou. nu. 108.

Suscipiens mercenarium nullo statuto pretio, tenetur tantum soluere, quanti alium similem conduceret. ibid.

Qui conductus diario non laborat fideliter, ob quod conductor damnificatur notabiliter, tenetur restituere damnum ad arbitrium boni viri. nu. 197.

Idem est, si promisit se diario pro altero labo

laboraturum, & dolo vel culpa id non præstat. Secus si casu fortuito impediatur. Quod si paratus est ad præstandum, & culpa conductoris non præstat, soluendum est ei diarium. Idem est si præstare omisit ob casum fortuitum contingentem ex parte conductoris, quando conductus diarium in alio loco, si ille non conduxisset eum, reperisset. cap. 17. nu. 197.

Regis præfectus publicis operibus, qui minori pretio cogit subditos ad importandam materiam, non potest efficere, ut idem faciant in gratiam alicuius hominis privati, nec sufficit ad id cōsensus regis, nec quod talis præfectus id oneri suæ conscientiæ accipiat. cap. 17. nu. 259.

MERETRIX. Nec quæuis alia mulier etiam religiosa, non tenetur restituere ea quæ etiam per blanditias obtinuit sine fraude ab amico potente donare. Secus si per fraudem, ut fingendo se virginem, vel solum fuisse cognitam à magnate. cap. 17. nu. 6. & nu. 41. §. 7. Imò nec tenetur restituere acceptum pro actu turpi. nu. 31. & nu. 34. dict. 4. Peccat tamen accipiendo pro ipso actu turpi. nu. 34. dict. 4. & nu. 36. §. 6. & clariùs. num. 38. Et idem est de aliis fœminis. nu. 35. §. 2. & nu. 40. §. 4.

Promissio facta meretrici de dando præ-
tium

tio pro actu turpi non est valida in foro interiori, bene tamen in exteriori. nu. 40. §. 3. Meretrix tamen petendo talem promissionem, non debet petere ob illum actum turpem, nec tamquam debitum legale, sed quod soluat promissa propter suam indigentiam, vel ob aliam finem honestum. nu. 41.

Peccat mort. locans domum meretrici ad meretricandū in ea, eo scilicet sine principali, vel minū principalī, ut meretricentur. Secūs si solūm ad habitandū, & viuendū, quamuis sciat eam meretricaturam ibi. cap. 17. numer. 195. §. 4. & cap. 21. numer. 25.

Respublica potest permittere meretricos. Magis tamen expediret non permittere. Et peccatum est mort. quærere lucrū ex meretricio lucro. cap. 17. §. 4. num. 195. lit. C. Nou. nu. 199.

MERITVM, de condigno, est actus humanus bonus, factus ab eo qui habet gratiam Dei gratum facientem, & meretur gratiam & gloriam aternam. Meritum de congruo, est actus humanus bonus factus ab aliquo extra gratiam Dei existente, cui de quadam congruitate, & secundū quid debetur aliqua merces spiritualis vel temporalis. Prælu. 7. num. 3.

Opus ex voto factum magis meritorium
est. cap. 12. nu. 32.

M E T V S non tollit, quin actus sit huma-
nus. Attamen facta per metum vt plurimum
reſcindi poſſunt, & aliquando non tenent,
quia ſine vlla reſciſſione ſunt inualida &
nulla. Præl. 6. num. 5. 6. Nou. nu. 4. 5. Metus
enim ita inſicit quemlibet contractum, vt
ſit irritus, vel irritandus. cap. 19. nu. 13. ſecus
ſi fiat blanditiis. Prælud. 6. nu. 8.

Metus iuſtus frequenter excuſat à pec-
cato tranſgreſſionis legis humanæ. Prælud.
7. nu. 12. in Antiq. & in Nou. cap. 22. nu. 51.
vide tit. Matrim. V I.

Metus iniuſtus ſi ſit talis, quòd ſine illo
non fieret actus, æquiparatur in foro con-
ſcientiæ metui iuſto. cap. 27. nu. 93.

Vnde qui rem ab alio extorſit per me-
tum etiam non cadentem in virum con-
ſtantem, non tenetur reſtituere in foro ex-
teriori, bene tamen in interiori. cap. 17. nu.
15. & 29.

Et ſufficit metus reuerentialis ad indu-
cendam hanc obligationem. nu. 29. at qui
metus annullat donationem in foro con-
ſcientiæ, quamuis non ſit tantus, vt ſufficiat
ad inualidandam eam in foro exteriori. cap.
17. nu. 4. & nu. 29. §. per metum. nam ſi me-
tus leuis ſufficeret ad reſcindendum con-
tractus

tractus in foro exteriori, respub. scaturiret
litibus.eodem.nu.& §.

Quamuis in foro exteriori paria censean-
tur consentire sponte, & consentire per me-
tum iustum non cadentem in virum con-
stantem: tamen in foro conscientiae idem
censeretur, quod quis consentiat metu ius-
to, vel eo minore: dummodò coram Deo
ille fuerit causa principalis illius consentis.
nu. 15. Non tamen est idem in foro cōscien-
tiae consentire metu vel blanditiis. ibidem.

Metus reuerentialis annullat professio-
nem pueri. cap. 22. nu. 51.

Metus iustus est *metus cadens in virum
constantem, & est ille quo eligitur minus ma-
lum causa vitandi maius.* Atque minor me-
tus sufficit in muliere quam in viro, vt di-
catur iustus. cap. 22. nu. 51.

Sponte fieri dicitur id quod fit sine metu
iusto, quamuis interueniat metus leuis. cap.
27. nu. 93.

M I L E S non tenetur abstinere à mili-
tia, quamuis sit ei occasio peccandi. cap. 5.
nu. 5. cap. Nou. 7.

M I R A C V L A. Pro miraculis falsis offe-
rens votiuas imagines peccat mort. cap. 11.
num. 32. Peccat etiam, qui vtitur miraculis
ab Episcopo non approbatis. cap. 17. num.
369. Et peccat mort. qui concionando nar-

sat scienter miraculum falsum. cap. 18. numero 5.

MISSA I.

De eius essentia, & valore.

Missa est actio qua ex institutione Christi **A**
 Domini nostri in memoriam passionis
 eius, panis & vinum in eiusdem corpus & san-
 guinem consecrantur, & sub eorundem speciem
 Dep offeruntur cap. 25. num. 110. Et hoc no-
 men, Missa, significat spontaneam oblatio-
 nem. ibid.

Missæ valor triplex est: Generalis, qui de- **B**
 betur toti Ecclesiæ: Medius, qui ei pro quo
 dicitur: Specialis qui debetur dicenti. num.
 92. Quinque particule valoris Missæ depu-
 tantur à Deo. I. Cuilibet fideli eo solo
 quod est fidelis. II. Cuilibet circumstan-
 ti. III. Toti Ecclesiæ, præcipuè iussis no-
 minari in ea, scilicet Papæ, Antistiti, Regi: &
 istæ tres sunt stabiles quæ nec crescunt, nec
 decrescunt pro multitudine vel paucitate
 eorum quibus applicantur. IV. Est faci-
 ti Missam, & nominatis ab eo priuatim, quæ
 scilicet contingit illi vel illis pro quo, vel
 quibus fit: & istæ duæ crescunt vel decrescunt,
 pro multitudine, vel paucitate eorum, qui-
 bus

bus applicatur. cap. 25. numer. 110. igitur Missa pro multis dicta non tantum valet multis eorum, ac si pro vno diceretur. Vnde qui ex obligatione dicit Missam pro aliquo, tenetur ei applicare totum valorem, quem debet. nu. 92. & 110. §. 35.

C Et qui tenetur dicere Missam pro vno non potest dicere illam pro illo, & alio, nisi de consensu expresso, vel tacito, qualis colligitur ex consuetudine seruata in parochia, vt parochus dicat Missam publicam de defunctis pro parochiano sepeliendo. nu. 92.

D Sacerdos non potest propter paupertatem recipere duas pirantias pro vna Missa. num. 92. & 111. corol. 4.

Qui aliquam pecuniam accipit pro Missis dicendis per se vel alium, & facit ab aliis dici pro minori stipendio, peccat, nisi habeat aliquod officium propter quod lex, vel consuetudo, vel voluntas saltem tacita Domini aliquid tribuat ei pro eiusmodi cura. nu. 91.

Nulla conuentio facienda est pro mercede Missarum. nu. 10.

De Missis disponendum est per praelatos, vel episcopos, si numerus earum fuerit exorbitans, vel si elemosynis impares. cap. 25. nu. 138.

Nihil

M I S S A I I. 577

Nihil dandum pro Missis nouis. num. 88.
Et licitè potest prohiberi ne in his ni-
miùm offeratur &c. ca. 27. n.

Instituens Missas non peccat, licèt aliqui
sumant inde occasionem peccandi. c. 14. nu.
31. §. 14.

Definita à Trident. circa Missam, vide
Missam III.

M I S S A I I.

Quoad ministrum.

EP I S C O P V S debet omnino prohibere,
ne Sacerdos vagus & ignotus celebret. c.
25. nu. 68. ipse tamen si celebret, in occulto,
non peccat. cap. 27. num. 153.

Peccat mort. qui aduertens ante Missam
se esse in mortali, celebrat. Quòd si aduer-
tat post inchoatam non tenetur desistere,
quamuis possit sine scandalo: tenetur tamen
ante secretam confiteri, si possit sine scanda-
lo. num. 79. vel statim post Missam. n.

Peccat mort. qui celebrat non ieiunus.
Quòd si aduertat post inchoatam Missam,
etiam ante consecrationem, & eam sine
scandalo non potest relinquere, non pec-
cat. num. 75.

O o Peccat

Peccat mort. qui notorius concubinarus, & fornicarius, ante poenitentiam celebrat. Et qui celebrat ante matutinas recitatas, nisi adsit virgens necessitas. cap. 25. nu. 76 & 83. Item Sacerdos qui sine iusta causa non celebrat, saltem ter vel quater in anno. nu. 88.

Peccat mort. qui petit missam à Sacerdote, quem scit celebraturum in mortali quod intellige de Sacerdote notorie suspensio, vel excommunicato, vel non parato, nec ad missam dicendam obligato, & peccante ex ignorantia, vel infirmitate, & non ex malitia. cap. 14. nu. 31. lit. H. Nou. 3. 41.

Qui non dicit tot & tales missas, quot & quales, & ubi tenetur, peccat. cap. 25. nu. 134.

Onus annexum beneficio, ut beneficiarius quotidie celebret de B. V. Maria non obligat ad dicendum missam omnibus diebus: nec ad celebrandum de illa omnibus diebus quibus tenetur, missam dicere, sed solum illis, quibus frequentius salva devotione, & honestate debita potest. Onus vero dicendi missam per se, vel per alium de omnibus diebus intelligendum, est. nu. 134. Sacerdos leprosus non est permittendus celebrare. cap. 27. nu. 202.

MISSA III.

*Vbi & quando & quo ritus
celebranda.*

CONCILIUM Trident. sess. 22. cap. 1.
Definiuit sub anathemate hæc sequentia.

*Scilicet hæreticum esse dicere, Non offerri in
missa idem sacrificium incruentum, quod in
cruce fuit oblatum cruentum. Aut in missa
non offerri verum & proprium sacrificium. Aut
quod offerri in ea sacrificium, nõ est aliud quàm
nobis Christum dari ad manducandum. Vel
Christum non fecisse Sacerdotes Apostolos per
illa verba, Hoc facite &c. Aut missa sacrifici-
um tantum esse laudis, & gratiarum actionis,
vel nullam commemorationem sacrificij in cru-
ce peracti, non autem propitiatorium: vel solum
prodesse sumenti: neque pro viuis & defunctis,
pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis ne-
cessitatibus offerri debere. Aut blasphemiam
irrogari Christi sacrificio in cruce peracto per
missa sacrificium, aut illi per hoc derogari. Aut
imposturam esse missas celebrare, in honorem
sanctorum, & pro illorum intercessione apud
Deum obtinenda. Aut canonem missæ errores
continere. Aut ceremonias & vestes esse ma-*

00 2 las.

las. Aut missas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse. Aut quod nihil summissa voce dicendum sit in missa. Aut lingua tantum vulgari celebrari debere. Aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, Aut non esse optimum omnium pro animabus Purgatorij suffragium.

Idem Concil. Trid. sess. 22. Decret. de Reform. statuit hæc. Iubeant Episcopi ne fiat ulla conuentio super dicendarum missarum mercede: neque in missis nouis offeratur quicquam magis coactè quàm sponte. Nulla missa dicatur extra Ecclesiam, aut oratorium, quod non subiaceat uisitationi Episcopi, vel Ordinarij. Nullus presbyter notoriè criminosis eam dicat, nec diuinis officiis intersit. Nulla cantio lasciuia, vel prophana misceatur cantus etiam organico. Nec in missa fiant caremonia inusitata, nec cum superstitioso candelarum numero. Non fiant in Ecclesia actiones & colloquia uana, vel prophana, nec deambulationes, strepitus, clamores. Ordinarij moneant teneri parochianos ire ad audiendam concionem in suis parochiis quietè commodè potuerint. cap. 21. nu. 10. & cap. 25. n.

Peccat ergo mort. qui celebrat extra locum sacrum, & post Trident. non potest Episcopus concedere facultatem celebrandi extra locum sacrum super aram portatilem. cap. 25. num. 82.

Potent

Poterit nihilominus sicut antea poterat ob necessitatē celebrari extra locū sacrum sine licentia Episcopi, ita & nunc. ibidem.

Non potest dari licentia celebrandi in mari vel in flumine, etiam vigente necessitate. num. 82.

De celebrante in Ecclesia interdicta, vel polluta, vel sine ararvide Irregularitas. V I. VII. lit. B. F.

Peccat mort. qui celebrat sine omnibus vestibus sacris, vel sine corporalibus, vel sine libro saltem continente, canonem *Te igitur*, etiam si festum vngeret: & quamvis aliter non posset vitare mortem secundum Caietanum, quod satis durum videtur. Potest loco cinguli vti stola, & loco stolæ manipulo longo, imò secundum aliquos cingulo non benedicto. cap. 2 §. nu. 84.

Peccat mort. qui celebrat sine aqua, vel lumine, & qui consecrat in pane fermentato, vel corrupto, vel in vino adeo acido, vel limphato, vt substantiam vini amittat. Et qui solum vinum consecrat sine aqua, & qui noctu ante lucem, excepto Episcopo: liceret tamen ex licentia Episcopi ob necessitatem communicandi infirmum, imò etiam absque licentia si Episcopus absit. num. 85.

Non peccat, qui celebrat post horam sextam, dummodo non sit post nonam. nu. 86.

Oo 3 Peccat

Peccat m. qui pluries quàm semel celebrat in die, nisi in septem casibus. I. In die Natiuitatis Domini, in qua tres Missæ dici possunt. II. Quando dicta missa superuenit persona notabilis veluti Episcopus. III. Quando dicta missa corpus defuncti occurrit sepeliendum. IV. Quando adest necessitas communicandi ægrotum, & non est Eucharistia. V. Quando quis præest duabus Ecclesiis, quæ indigent duabus missis, nec est alius qui dicat alteram. VI. Propter benedictionem nuptialem. VII. Quando occurrit causa iusta ad arbitrium boni viri. Sed isti casus intelliguntur dummodo purificationem calicis non sumpserit. cap. 25. nu. 87.

Missæ non potest celebrari in die Parasceues, & Sabbato sancto. Consuetudo tamen fecit, vt tali sabbato Sancto dicatur vna, & ea quæ dicenda erat in ipsa nocte Resurrectionis: dici tamen potest in die cœnæ Domini missa tam secretò quàm publicè. n. 88.

De celebrante cum non sit ieiunus, vide Missa. I I.

Peccat m. is cuius negligentia sanguis funditur in terra, vel in altari. Quòd si stillauerit in terram, lambarur lingua, & tabularadatur. Si non fuerit tabula, vt non conculcetur, locus torrodatur, & igne consummetur, & cinis intra altare recondatur. Si autem

tem super altare stillauerit, sorbeat minister stillam: si super linteum, abluatur illud ablutione, à ministro calice supposito, & aqua ablutionis recondatur iuxta altare: vnde ob hanc causam non est comburendum corporale. nu. 89.

Peccat, qui reliquias Sacramenti post ablutionem sumit post interuallum, secus si in continenti. nu. 89.

Prima ablutio calicis cum vino facienda est. num. 90.

Si post sumptionem sanguinis aliqua particula hostiæ adhæserit ori, potest sumi ablutio, quamuis hæc deglutiatur priusquam particula. cap. 25, num. 90.

Si sumpto sanguine particula hostiæ adhæserit calici, potest infundi vinum, vt simul cum particula sumatur. nu. 90.

Qui sumpta hostia inuenit in calice solam aquã debet sumere vinum, & aquam, vel solum vinum cum aqua, quæ remanet in calice, & consecrate, incipiendo ab illis verbis, *Simili modo*, prosequens vsque ad illa, *vnde & memores*, &c. aliisque prætermisissis (ne populus propter moram intelligat errorem) sanguinem percipere. numer. 91.

Qui multas hostias consecrandas accipit, vere consecrat eas, quamuis dum profert

① ② 4 verba,

verba, recorderur tantum hostiæ, quam manibus tenet. c. 25. num. 91.

Qui celebrat, debet nominatim pro Papa, & pro Antistite suo, & pro Rege, & pro illo, vel illis pro quibus Missam specialiter facit, non tamen pro aliis. num. 111.

Breuis modus applicandi Missam pro aliis à prædictis est.

Memento Domine mei, & eorum viuorum quibus possum sine præiudicio prædictorum valorem huius Missæ applicare, & humillimè supplico, vt eo ordine mihi, & illis applies, quem tu optimum esse ordinem nosti.

Nec expedit plura nomina concipere, ne mentem distrahant; vnde hæc memoria erit conueniens, vt in nominatiuo collocet se ipsum; in genitiuo, genitores; in datiuo, datores, seu benefactores; in accusatiuo, offensos, vel sibi iniurios; in vocatiuo, interuenientes; in ablatiuo, eos quibus obtulerit preces illius, vel qui suas obtulerunt illi. cap. 25. num. 111.

MISSA IIII.

Quo ad auditionem.

PECCAT mort. qui vtens ratione, non audit Missam die festo sine iusta causa, quam

quamuis id fiat per solam negligentiam absque contemptu. cap. 21. n. 1.

Nemo tenetur, iure communi, die festo audire alia officia diuina præter Missam. Atque sufficit audire vnã Missam etiam in die natiuitatis. num. 1. 2.

Sufficit audire dimidium vnus Missæ, & dimidium alterius. ibidem.

Sufficit audire à loco distante, quamuis non audiat verba Sacerdotis. num. 8.

Missã integra dicitur ab Epistola inclusiue. num. 2. Pars notabilis Missæ potest constitui ex vna particula principij, & altera finis, & legendo per se partem omisam, vel audiendo lectam, satis est, etiam si quiuis alius legat. Non peccat saltem mortaliter, qui exit à Missã ante benedictionem. n. 2.

Episcopus non tenetur audire Missam quoridie; decet tamen illam audire. n. 2.

Excommunicatus quamuis negligat procurare absolutionem, non peccat in nõ audiendo Missam. 3.

Multi excusantur ab audiendo Missam, nempe infirmus, & eius minister, nutrices, arcium custodes, iter facientes, carentes vestibus, quando isti sine magno damno proprio, vel alieno audire non possunt. cap. 21. num. 3.

Excusatur vidua, quæ iuxta consuetudinem

o o s nem

nem regionis non audit Missam per mens-
sem, imò per annum. Quam consuetudi-
nem, quamvis iustum sit quòd Episcopus
curet exhortando abolere, non tamen vi-
detur posse ex abrupto tollere per præceptum.
Nec ferenda est consuetudo, qua nobiles
puellæ numquam audiunt Missam, antequam
nubant, maximè si ad alia festa nuptiarum,
vel ludorum, pergant. num. 4. 9.

Excusantur tamen, si à parentibus probe-
beantur, sed non excusantur parentes. Qui-
do verò filia adolescens excusatur, excusatur
etiam mater, quæ ad illam custodiendam
remanet. Fœminæ autem non excusantur ob
menstrua, nisi alia debilitas accedat. n. 9.

Excusatur etiam nupta quæ non potest
Missam audire sine magno scandalo mariti.
num. 5.

Qui iusta de causa excusatur ab audiendo
Missam, non tenetur id supplere oratione.
num. 7.

Habentes privilegium, tenentur audire
Missam tempore interdicti. Idem est de cle-
ricis etiam primæ tonsuræ: non tamen to-
to tempore interdicti sed tantum festis in
eo occurrentibus. num. 3.

Non tenetur quis audire Missam in pe-
rochia, nec Episcopus potest contrarium
præcipere, quia sicut non potest tollere. n. 10.

commune; ita nec potest reuocare generalem consuetudinem, vim legis habentem, qualis est hæc in toto Christiano orbe recepta, vt quis sine contemptu suæ parochiæ, aut parochi, audiens Missam extra parochiã in quouis loco, etiam in oratorio, satisfaciat præcepto: imò si Episcopus contra hæc consuetudinem ferret excommunicationẽ, esset nulla. Sed tandem Leo X. statuit sequens decretum.

Auctoritate Apostolica tenore presentium notum facimus, omnes Christi fideles vtriusque sexus, qui non contempto proprio parochia in Ecclesiis fratrum ordinum mendicantium, Dominicis, & aliis festiuis diebus Missas audiunt, satisfacere præcepto Ecclesiæ de Missa audienda, nec in aliquam labem peccati mortalis penamve propterea incurrere.

Quod ipsum postea confirmauit, & declarauit Pius V. in quodam motu proprio. Nec obstat decretum Trident. quia non loquitur de Missa, sed de concione audienda in parochia: nec præcipit, sed dicit, vt moneantur fideles. Vnde parochianus etiam si sit concio in parochia, potest alibi audire vtiliorem sibi. Nec obstat quòd possit Episcopus circa hoc, ex decreto Trident. auctoritate Apostolica opportunum providere remedium, atque adeo poterit id præcipere,
sub

sub excommunicatione, non, inquam, obicit quia non est opportunum remedium, cum tanto laicorum & Religiosorū scandalo conari tollere consuetudinem, quæ etiam Romæ seruatur. c. 2 i. num. 5. §. Excusatur, & §. Nec obstat.

Peccat mort. qui die festo audit Missam sine attentione, vt colloquendo, scribendo, & c. num. 6.

Qui audiens Missam ex præcepto, proce- ita recitat vt attentionem necessariam Missæ non adhibeat, peccat mort. Si vero adhibeat, potest eodem tempore satisfacere vtrique præcepto de audienda Missa, & recitandis precibus. num. 8.

Qui egreditur è loco, vbi seruatur dies festus, & pergit in alium, vbi non seruatur, tenetur audire: de egredientibus autem è loco, vbi non seruatur, si tantum transeant per locum vbi seruatur, Auctor videtur tenere (quamuis non omnino firmiter) quod non teneantur audire Missam. num. 5.

Peccat Dominus vel herus, qui negligendo, vel occupando in operibus, quæ distanti poterant, est in causa quod filij, vel serui non audiant Missam præceptam. c. 2 i. n. 9.

Qui pergit in Ecclesiam principaliter ob videndam fœminam, si tamen audiat Missam, satisfacit præcepto. num. 6.

Qui

Qui audit Missam publici concubinarij, tunc peccat mort. quando eius auditus est causa, vt ille eam dicat, vel quando scit, vel scire debet esse legem prohibentem id sub mort. secus si excusetur ignorantia. num. 6. Et iuste potest parochianus alibi audire Missam & concionem, quando eius parochus fuerit concubinarius, excommunicatus, denunciatus, suspensus ab ordinibus; aut criminofus notorius. cap. 21. num. 5. §. 3. post medium.

MONETA, ET
Pecunia.

QUI falsificat monetam in substantia, pondere, vel forma, aut scienter vtitur falsis, peccat mort. & tenetur restituere. Idem de eo qui auctoritate priuata circumcidit, vel attenuat monetam. c. 17. n. 167. 168. qui bona fide dedit alteri pecuniam adulterinam, postquam id rescierit, tenetur dare legitimam. nura. 8.

Quamuis primus finis pecuniæ est emptio & venditio: sunt tamen septem fines secundarij; & qui dat eam, licite potest recipere pretium pro eius vsu, excepto tamen mutuo & commodato. num. 283. lit. C. & in Nou.

Nou. numer. 287. at qui sex vsus hi sunt, cambire, permutare, ostentare opes, ornare, delectare se eius aspectu, succo eius medicari. ibid. licitum est commodare pecuniam, vt detur pignori vel ad ostentationem diuitiarum. num. 226. licitum etiam est pecuniam argenteam pecunia aurea & contra emere, ac vendere etiam cum lucro. ibidem.

B Qui habet pecuniam, quæ ratione secundarij vsus valet saltem sibi, plusquam accipitur per legem, quamuis non possit cogere alium, vt det pro illa maius pretiũ quam sit taxatum per legem, potest tamen sub accipere. num. 283. lit. C. Nou. 287.

C Moneta est quædam merx, & potest etiam vt pecunia est, commutari, & excommunicatione eius lucrum quæri negociando. ibid. lit. I. Nou. 294. moneta vt merx, est vendibilis, non tamen vt pretium est. nu. 283. lit. F. & in Nou. num. 291.

D Moneta propter octo causas potest valere plus vel minoris, quam alia. I. Diuersitas metalli. II. Diuersitas bonitatis eiusdem metalli. III. Diuersitas formæ ac ponderis. IIII. Diuersitas locorum. V. Reprobatio totalis, vel partialis. VI. Temporis diuersitas. VII. Copia, vel defectus. VIII. Absentia, vel præsentia. Non tamen est sufficientias

ficiens causa quod citius vel tardius danda sit, vel accipienda. num. 283. lit. L. Nouo num. 294.

Pretium pecuniæ in nundinis augetur vel minuitur propter multitudinem vel paucitatem volentium cambire, per viam tamen cambij liciti, non tamen illiciti. ibid. lit. K. Nouo num. 295. pecunia habita ex re vendita non succedit loco rei vendita. num. 50.

MONIALIS cuiusuis ordinis tenetur communicare semel in mense. cap. 21. num. 57. dicto. 13.

Possunt moniales accersire aliquam personam extraneam idoneam, vt dirigat eas in electione. cap. 27. num. 44.

Monialis quæ incidit in censuram Papalem, potest ante moram petendi absolutio- nem, & post penitentiam communicare, & choro interesse cum aliis, ne fama eius, vel monasterij, periclitetur. cap. 27. num. 239.

Qui frequenter inuisit moniales, tunc peccat mort. quando populus inde sumit occasionem murmurandi. c. 14. num. 31.

De ingredientibus claustra monialium, vide Excommunicatio V l. §. VII. moniales possunt vocare medicos, latomos, fabros lignarios, & alios ministros ad res necessarias. cap. 27. num. 124. monialis illegitima non potest esse Præolata per dispensationem Episcopi

Episcopi. num. 201. §. 10.

MONOPOLIUM faciens peccat mort.
& impetrans à principe priuilegium ne certi
generis merces ab alio quàm ab ipso vedan-
tur in notabile detrimentum populi. ca. 17.
num. 92.

MORA. Qui mala fide retinet rem alle-
nam, semper est in mora. ca. 17. n. 10.

Ille est in mora restituendi qui sine causa
nō restituit statuto die, vel cū primū scē,
vel scire debet rem esse alienam. n. 80.

MONS pietatis licitus est, c. 17. nu. 113.

MVLIER vide foemina.

MVTVVM. Qui misit mutuum, veluti
panem, vinum & alia, quæ vsu consumun-
tur, per nuncium fidelem, si actu non per-
ueniat ad Dominum, tenetur restituere. si
nuncius non fuit electus per mutuante. ca.
17. num. 186.

Peccat qui res mutuatas non soluit stat-
to die rebus eiusdem generis & bonitatis.
num. 214.

Mutuum verum solū reperitur in re-
bus, quæ vsu cōsumuntur, & cōsistunt in nu-
mero, pondere, & mensura; palliatum verū
in aliis etiam rebus, & contractibus. n. 206.

De vsura quæ contingit in mutuo. vide
vsura. 3.